



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Mariae Virginis Sacratiss. Miracvlorvm Libri Tres

Vismara, Ercole

Mediolani, 1579

Mirac. Virg. IX. In templum illato incendio, & igne omnia peruagante,
reginae coeli simulacrum, quod ibi erat, ne attingitur quidem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64305)

plum illud Virginis petentes, sanctissimum eius nomen, multis allatis donis, piè, sanctèq. uenerati sunt. Atqui inter eos populos perpetua fuit concordia; solidaq. pax, & tranquillitas illis, Virginis benignitate, ac liberali munere parta est. Adhuc etiam in sanctissimae illius imaginis tutela est illud oppidum; & in eo templo, sagitta illa, cui se Virgo opposuit, uisitur.

MIRAC. VIRG. IX.

In templum illato incendio, & igne omnia peruagante, reginae coeli simulacrum, quod ibi erat, ne attingitur quidem.

IN D. Michaelis aede, fulminis impetu incendium excitatum est. Illignea Virginis imago, quae ibi erat, cuius caput subtilissimo, & candido uelo redimitum erat, nihil ex accenso igne damni perpessa est. Reb. n. omnib., quae prope simulacrum etant, absumptis, & flamma combustis, ignis illud occipere expauit. Quocirca uelum illud, cuius color niueus erat, non modò non igne attactum; sed nec eius candor ulla in parte fumo infectus est. Quinetiam stabellum quoddam gracchi pennis consitum, quia ad imaginis illius latus haerebat, sartum integrum & tectum seruatum est. Non praetereundum est, quod olim Fauentiae euenit. Graui. n. flama in aedib. exorta, nihil ibi reliquiarum fuit, nisi parua tabella, in qua mortaliu patrona picta erat. Ne tanti miraculi memoria ullo unquam tempore interiret; Fauentini pulcherrium & ornatissimum templum summa munificentia, publicè aedificarunt, quod pictis tabellis plenum est;

in

in quib. innumerabilia commemorantur, quib. ipsa multos mortaleis copiosè auxit, & amplissimè honestavit.

MIRAC. VIRG. X.

Insigne miraculum in Virginis imagine à D. Luca picta.

DElinearat Virginis imaginem D. Lucas, quam postea colorib. appositè ornare, decreuerat. Ea admirabili splendore diffusa, praestantibusq. colorib. mirificè ornata uisa est: ita ut non mortali pennicillo, sed coelesti manu picta uideretur. Insignis haec pictura non sine Dei uoluntate Romam aduecta est, quo tēpore Tempulus, Seruulus, & Ceruulus fratres piè aetate illic agebant. Tempulum autem piū, & integrum uirum Deus conueniens; illi edixit, ut effigiem illam, quae nuper Romā aduecta fuerat, in templo aedib. in quib. ipsi unanimes fratres habitabant, proximo, ponendam, & maxima ueneratione locandam curaret. Ea re statim facta, optimi fratres, maiori postea pietate, ac sanctitate, reliquum uitae suae, cursum confecerunt. Ad sacrosanctam imaginem quidam clerici oculos adiecerant; qui non religione, sed inuidia adducti à Sergio Pontifice maximo impetrarunt, ut ea illinc amota in Lateranense atrium perferretur. Rem. n. praestantissimam in illustri, ac celebri loco ponendam esse, dicebant. Pontificis permisso illi maximo populi comitatu & frequentia ui sacram tabellam eripuerunt, quibusdam mulierib., quae ibi, consecrata Deo uirgi